PER presens scriptum notum sit tam presentibus quam futuris quod ego ALDEFONSUS dei gratia Rex Castelle et Toleti, una cum uxore mea Alienore Regina, et cum filiis meis dono Ferrando et dono Henrrico, libenti animo et uoluntate spontanea, pro multis et gratis seruiciis que michi diu et fideliter exhibuistis et cotidie exhibere non cessatis, facio cartam donacionis, concessionis, confirmationis et stabilitatis uobis dono Alfonso Tellii et uxori uestre done Eluire et filiis et filiabus et nepotibus uestris et omnibus successionibus uestris perpetuo ualituram. Dono itaque uobis et concedo aldeam illam de Montalban que dicitur Dos Ermanas, et turrem de Mala Moneda, cum ingressibus et egressibus, cum montibus, fontibus, aquis, riuis, nemoribus, defesis, pratis, pascuis, et cum omnibus terminis et pertinenciis suis, iure hereditario habendas et irreuocabiliter sine contradictione aliqua perpetuo possidendas, ad faciendum inde quicquid uolueritis, dando, uendendo, cambiando, impignorando, seu quodlibet aliud faciendo. Siquis uero hanc cartam in aliquo infringere uel diminuere presumpserit, iram dei omnipotentis plenarie incurrat, et Regie parti mille aureos in cauto persoluat, et dampnum uobis super hoc illatum restituat duplicatum. Facta carta apud Burgos. Era M. CC. XL. octaua, prima die mensis Septembris. Et ego Rex A. regnans in Castella et Toleto hanc cartam quam fieri iussi manu propria roboro et confirmo. Rodericus Toletane sedis archiepiscopus Hispaniarum primas confirmat.

Garsias	Burgensis	episcopus	confirmat
Rodericus	Segontinus	episcopus	confirmat
Petrus	Abulensis	episcopus	confirmat
Gonzaluus	Secobiensis	episcopus	confirmat
Johannes	Calagurritanus	episcopus	confirmat
Garsias	Conchensis	episcopus	confirmat
Tellius	Palentinus	electus	confirmat
Melendus	Oxomensis	electus	confirmat

Didacus Lupi	de Faro	confirmat
Comes	Fernandus	confirmat
Rodericus	Didaci	confirmat
Lupus	Didaci	confirmat
Rodericus	Roderici	confirmat
Fernandus	Garsie	confirmat
Guillelmus	Gonzalui	confirmat
Garsias Roderici merinus Regis in Castella		confirmat

Petrus Poncii tunc Regis notarius, Didaco Garsie existente Cancellario, J. subnotario scribere iussit.

4441